



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologus Parisiensis Inquirenti Duaceno Theologo**

**[S.I.], 1692**

Thesis Prima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39050**

**T H E S I S P R I M A.**

**G**ratiam efficacem nec semper, nec omnibus dari probat omnium Theologorum consensus, & quotidiana tot perceptorum experientia illam necessariam esse, ut quis vere & propriè possit opera bona exercere, tentationes superare, &c. fatetur quisquis in traditione Ecclesie, in Augustino, & alijsq; sanctis Patribus peregrinas non est.

**Judicium prædicatorum Professorum Duacenorum.**

**H**ec Thesis, qua dicitur gratiam efficacem necessariam esse, ut quis vere & propriè possit opera bona exercere, doctrinam continet Augustinianam & Evangelicam, intelligendo de potentia complectente omnia necessaria ad agendum. Ita accipit Augustinus loquens de Petro, putabat se posse quod se velle sentiebat lib. de gratia & lib. arb. Ita Christus in Evangelio Joan. cap. 15. sine me nihil potestis facere, sine me utique operante velle & perficere.

**Judicium Theologi Parisiensis.**

**J**udicium (meo sensu & salvo meliori) debuit esse quod pars prædictæ Thesis, ubi dicitur gratiam efficacem necessariam esse ut quis vere & propriè possit opera bona exercere, tentationes superare &c. sit propriè & absolute loquendo hæretica. Hoc enim est dicere quod absque gratia efficaci nemo potest tentationes superare, vel bona opera exercere, quod est dictu hæreticum, cum hinc sequatur mandata Dei aliquibus justis (nempe iis qui temptationi succumbunt, puta Petro quando Christum negavit) esse impossibilia. Tunc enim Petro de- erat gratia efficax quam Thesis necessariam dicit ut quis possit tentationes superare &c.

Duacenorum Judicium in hoc peccat, quod prædi- etam Thesim in se hæreticam non modo non improbet, sed

Sed etiam approbet magnificis cum laudibus, cavillatoriè & dolosè subjungens hæc verba (intelligendo de potentia complectente omnia necessaria ad agendum) & nihil pronuntians de thesi si intelligatur de potentia ad agendum propriè dictâ quæ non sit adjuta gratia efficace.

Inquirendum mihi videretur à Duacenis prædictis quidam intelligent per potentiam complectentem omnia ad agendum necessaria.

Vel enim per istam potentiam complectentem omnia necessaria ad agendum intelligunt gratiam efficacem; vel aliquid aliud à gratia efficace.

Si primum, propositio contenta in Thesi sit absurdâ & cavillatoria; hoc est enim dicere quod gratia efficax sit necessaria ut quis possit potentiam per gratiam efficacem adjutâ bona opera exercere, quod est illusorium.

Si Secundum; assignent istud aliud à gratia efficace distinctum, tam necessarium ut vere & propriè possit quis tentationes superare &c. & inde sequetur quod gratia efficax non sit necessaria, sicut dicit Thesis ut quis tentationes possit superare.

Exemplum Petri Christi negantibus videtur mihi non aliâ mente fuisse laudatum, nisi ut probaretur quod Petrus tunc gratiâ efficace non adjutus quando Christum negavit, non poterat temptationem ad Christum negandum inducentem superare: quod est hereticum; sic enim aliquibus justis mandata divina essent impossibilia. Sensus S. Augustini est quod Petrus de se præsumens temerè putabat se posse propriis suis viribus quod se velle sentiebat, cum tamen nihil possimus facere sine Christo operante in nobis tam perficere quam velle.

## SECU N D A.

Igitur qui gratiam aliquam sufficientem ab efficacie distinctam, in hunc amisse innocentia statum invehunt, eadomque non obtem non miscerunt et ni miseruntur.